POSITIONES
EX
GENESI.

I. Cap. I. docemur, Mundum hunc non esse æternum, sed in tempore a Deo creatum, totumque opus spatio sex dierum realiter distinctorum esse absolutum: in tota porro creationis narratione nil repugnantiæ.

II. Ad ℣. 21. *Creavit Deus cete grandia* &c. item C. II. 2. *Complevitque Deus die septimo* &c. advertimus, tum ad conciliandos textus adparenter discordes, tum ad Incredulorum tela retundenda, eodem præterito in lingua Hebræa, imperfectum aut aoristum, aut plusquam perfectum non raro denotari.

III. Ex ℣. 28. & C. II. 18. minime deducitur, præceptum rei conjugalis omnibus impositum.

IV. Formatio Evæ, quæ C. II. per recapitulationem recensetur, historice & secundum literam est intelligenda.

V. Neque tentatio, & seductio Evæ C. III. ad allegoriam est amandanda: Serpentem vero naturalem una cum Cacodæmone totius fraudis architecto, in scenam prodiisse, tuemur.

VI. C. III. 15. Primum hic, & illustre de Messia, futuro generis humani reparatore vaticinium agnoscimus.

VII. C. IV. 1. bene vertit Interpres Vulgatæ: *Possedi hominem per Deum.* Ibid. ℣. 8. *Egrediamur foras*, hæc, etsi in modernis codicibus Hebraicis desint, olim tamen in iis exstitisse, probatur.

VIII.

VIII. Ibid. ℣. 26. *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Optima videtur iſtorum verborum expoſitio, quam ſuggerit textus Hebr.: Ab illo tempore poſteri Seth nomine Dei, id eſt, Filii Dei ſunt adpellati.

IX. Cap. V. texitur Genealogia Patriarcharum, quorum annos noſtris fere ſimiles fuiſſe, patulum eſt.

X. ℣. 24. *Et non adparuit* &c. Suavem Henochi mortem his verbis inſinuare voluiſſe Moſen, non ſuſtinemus.

XI. C. VI. 3. *Non permanebit ſpiritus meus* &c. Non futura hominis ætas, ſed ſpatium pœnitentiæ hic determinatur.

XII. Hiſtoriam diluvii C. VI. VII. VIII. delineatam immerito ſugillant increduli; id enim exſtitiſſe, totumque ſubmerſiſſe orbem, rationes plurimæ probant: futilia ſunt, quæ ad impugnandam Hiſtoriæ veritatem ex arcæ ſpatio, & ſtructura, ex animalibus tanto numero congregatis, & per annum integrum adſervatis, atque ex nimia aquarum copia ad tantam ſubmerſionem requiſita, &c. &c. conglomerant varii.

XIII. C. IX. 5. *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum.* Fruſtra, abſurditatem ſe hic deprehendiſſe, gloriantur Deiſtæ, maxime ſi Samaritanum textum producamus.

XIV. Ibid. 25. *Maledictus Chanaan.* Sine cauſa Moſen hic ſugillat Bolingbrockius.

XV. Quæ de ædificatione Turris Babelicæ, & miraculoſa linguarum confuſione cælitus introducta leguntur C. XI. ab inſanis Celſi, Juliani Apoſtatæ, aliorumque Cachinnis facile vindicantur.

XVI.

XVI. Ibid. 12. Adhæremus Vulgatæ, & Cainanum inter Arphaxad & Sale medium repudiamus.

XVII. Ibid. 26. *Vixitque Thare* 70. *annis* &c. Annum hunc, Abræ natalem ſtatuimus.

XVIII. C. XII. 13. *Dic ergo, obſecro, quod Soror mea ſis* &c. Abrahamum ab omni mendacio, aliave noxa abſolvimus.

XIX. C. XIV. 18. *At vero Melchiſedech* &c. Pius hic Rex Chananæorum panem & vinum proferens verum obtulit ſacrificium, incruenti Miſſæ ſacrificii præfigurativum.

XX. Agar, de qua C. XVI., legitima fuit Abræ uxor: Polygamia Abræ, aliorumque Patriarcharum, poſt diluvium dispenſante Deo licita fuit, quin tamen Deus hic, & C. XXII. mandans Abrahæ, ut filium ſuum Iſaac immolaret (quod imperium Dei juſtum fuit, juſta quoque Abrahæ obedientia) in lege naturæ dispenſaſſe, cenſendus ſit.

XXI. C. XIX. 24. *Igitur Dominus pluit... a Domino* &c., nonniſi Hebraismum quidem his in verbis agnoscimus; Ignem nihilominus de cœlo depluum cauſis mere naturalibus adtribuere, Literæ repugnare videtur. De ſtatua Salis, in quam uxor Lothi verſa eſt ℣. 26., interrogati mentem aperiemus.

XXII. Saræ jam nonagenariæ raptus C. XX. ſuſpectus nemini videri poteſt.

XXIII. Ibid. ℣. 16. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.* Monetam ſignatam tunc necdum in uſu fuiſſe, permittimus Deiſtis; ſed neque Moſen ejus hoc in loco meminiſſe, convincimur.

XXIV. Nuptias cum Lia & Rachele, de quibus C. XXIX. circa initium primi ſeptennii

Jaco-

Jacobum celebrasse, Judæ vero conjugium cum filia hominis Chananæi C. XXXVIII. per recapitulationem narrari, & non longe ab egressu Jacobi e domo Laban contigisse; quapropter & Hesron & Hamul, de quibus C. XLVI. vere natos cum Jacob Ægyptum ingressos esse, tuemur.

XXV. Ex his Jacobi verbis C. XLVIII. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum* &c. deduci nequit, invocationem Angelorum, & Ss. hominum tum temporis modo viguisse.

XXVI Ex C. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda* &c., promissum in Lege Messiam jam dudum advenisse, invicte demonstratur.

Positiones has

cum præmisso Compendio Prolegomenorum Generalium

publice defendent

F. Albertinus Pferzwey, *Sacerdos Ord. Min.*
F. Archangelus Wœbel, *Subdiacon. Recoll.*

D. Ludovicus Baur, *Angermundensis*

S. Script., & Ss. Theologiæ Auditores.


Dusseldorpii


in Aula Electorali Academica.

Die 17 Julii

mane ab 8 — 10.

1788


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M
TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007